



Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

VII. Nascitur Ioannes Baptista. Luc. 1. 57.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

80 MYSTERIA INFANTIAE

Chrysol.
sup.

Et non cognoscebat eam, &c. " Sanctus animus, quicquid non assequitur, expauescit.) Sed quandoquidem nobiscum Deus dignum est exurgere, & facere sicut praecipit, siue per se, siue per Angelos, id est, ministros suos.

VII.

Nascitur Ioannes Baptista. Luc. 1. 57.

In Nativ.
S. Io. Bapt.

1. Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, & audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum

Ambr. sup.

illâ, & congratulabantur ei. " Plenitudinem Iusti vita habet, inanes dies sunt impiorum.) Pleni sunt qui masculos foetus gignunt; de his congratulantur Angeli, & omnes fidelium coetus, quos solos vicinos & cognatos habere decet: nam longe à peccatoribus salus: quamuis & ab his virtus laudem extorquet, & ut Dei misericordia magnificetur, euangelizanda est pax iis qui longe & iis qui propè.

Pl. 118. 155.

Ephes. 2. 17.

2. Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum & vocabant eum nomine patris sui Zachariam; & respondens mater eius dixit, nequaquam, sed

sed vocabitur Ioannes. Sic naturâ filij iræ
in iram destinamur & peccatum, sed oc-
currit Mater gratiæ, Mater misericor-
diæ. Tu etiam quoties vicini, quoties
cognati ad mores antiquos reuocant,
eò quòd nemo in cognatione tuâ voce-
tur hoc nomine; responde, nequaquam:
Inue Patri misericordiarum, vt in te
scribat quid velit; præbe te pugillarem
tersum, politum, candidum: mirentur
boni, mirentur mali, mirentur vniuersi,
modò benedicatur Deus.

3. Apertum est autem¹ illic os eius, &
lingua eius, & loquebatur² benedicens
Deum, & factus est³ timor super omnes vi-
cinos eorum, & posuerunt⁴ omnes qui au-
dierant in corde suo dicentes, ⁵ Quis putat
puer iste erit; etenim⁶ manus Domini erat
cum illo. Vide Heroici actus effectus;
mirantur vniuersi, aperunt ora in lau-
dem Dei; timent mali aggredi in poste-
rum constantem; reuerentur perseue-
rantem; diuulgatur fama boni operis;
præferuntur malis boni, velut montes
excelsiores montibus: hærent animo
exempla bona: eriguntur corda ad fu-
tura præmia cogitanda: *quis putat puer*

82 MYSTERIA INFANTIAE

iste erit? iste contemptibilis in oculis
suis; iste cuius vitam aestimabamus in-
saniam; etenim manus Domini erat cum
illo, &c.

VIII.

Munus ad quod destinatur Ioannes
Baptista, Ioan. I. 6.

1. **F**uit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes. Homo homini ad quanta adiutor factus, & cuius? Vide ut nomen tibi bonum sit tuo muneri congruum: & res, quæ est gratia: illa inquam quæ gratos efficit Deo, magis quam homini: si mitteris, sume animos à Deo, cuius causam agis.
2. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Lux non eget testimonio; quantæ nostræ sunt tenebræ, ut apud nos egerit! quanta ipsius dignatio, qui ne nos splendore suo obrueret lumen suum, & se occultavit in homine simili nobis. Agnosce te in omnibus non esse lucem, sed ut testimonium perhibeas